



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. De Boiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

N V M. 3. De Boiis.

NOMEN & ORIGO. Boiorum in Galliâ Transalpinâ meminisse Cæsar, & vulgò creduntur incoluisse *le Bourbonois*: iunctique Lingonibus Tuscos expulerunt post Olymp. 64. an. 3. vt præmonuimus; & hæserunt in Italiâ donec à Romanis expulsi sunt, vel exterminati. De bellis Romanorum cum Boiis sæpe Polybius, & Liuius: vltimum legitur apud Liuium lib. 36. quando à P. Cornelio Nasica victi sunt, eodem Cornelio & M. Acilio Glabrione Coss. tumque dimidiâ agri parte multati. Tandem eiecti sunt ex Italiâ vt tradunt Polybius & Strabo; sed modum, & tempus non explicant.

FINES. *Ab Occidente* Taro Fl. separabantur ab Anamanis; Idice Fl. *à Lingonibus ab Oriente*; Apennino *à Meridie* à Liguri- bus; *à Septentrione* denique Pado à Cenomanis, & Venetis.

N V M. 4. De Lingonibus.

NOMEN & ORIGO. Dicti sunt à Lingonibus Gallis quorum vrbs Andomatunum *Langres*. Ita cum Boiis coniuncti sunt, vt vnâ gentem conflasse videantur; quare Polybius lib. 2. Boios Senonibus conterminos videtur statuisse; nihilominus saltem sub initium discreti erant.

FINES. *Ab Occidente* Idice Fl. diuidebantur à Boiis; *à Meridie* Apennino monte, à Tuscis; *ab Oriente* Vtente Fl. *Montone*; denique *à Septentrione* Pado Fl. à Venetis.

N V M. 5. De Senonibus.

NOMEN & ORIGO. Straboni Σένορες & Σένορες dicuntur; Ptolemæo Σένορες; Polybio Σήνορες; Diodoro Σέννορες. Orti sunt à Senonibus Gallis *ceux de Sens en Bourgogne*, & ab iis dicta Sena Gallica *Senigaglia*, vltimique omnium Gallorum, vt præmonuimus, Alpes transgressi sunt.

LOCVS & REGIO. Vbi autem habitarent primùm, non satis inter scriptores liquet. Liuius enim lib. 5. conluisse ait in eo tractu qui extenditur inter fluuios Vtentem *Montone*, & Æsim *Esino*. At